

quæso tam egregiè dictum aut factum,
quid tam sanctum & inviolabile quod
non à Momo rodi, labefactari & op-
primi possit?

Sed hisce missis, Amplissime Dn. Wit-
ten à Lilienau, totius rei scenam nunc
explicabo; Accipe igitur breviter ita.

Cum Anno 1670. Patavii studiorum
gratia Anatomicorum præcipuè com-
morarer, eodem mecum lecto & men-
sâ excipiebantur & familiariter vive-
bant, sequentes Medicinæ Doctores &
Viridoctissimi; Dn. *Scheidlinus*, Dn. *Lu-
cas Schrockius*, Augustani; Dn. *Esaïas Gei-
ger* alias *Waldman*, Posonienfis, Dn.
David Portius Bacharacensis. Dn. *Tho-
mas Otto Marquart*, Sufato. Westphalus
(Quos hîc honoris causa nomino) ac
tandem noster, *Jacobus Barnerus* El-
bingensis. Hic natura sua arrogans, ma-
gnificè nunquam non de se sentiebat,
loquebatur, despiciebat alios, homi-
nem præter se putabat neminem, se so-
lum *Gallina filium albæ*, cæteros viles pullos,
natos infelicibus ovibus existimabat, nemi-
nem ducebat liberum. Quæ incredibili-
lis